

Stephanus Galdeti

Prima epistula ad Bernardum

Editor: Alexandra Baneu

work in progress

12.08.2024

Manuscripts:

P1 Paris, BnF lat. 16408

P2 Paris, BnF lat. 16409

Project NOTA-ERC

|| Prima epistula ad Bernardum

Amantissime patre fratre Bernarde, cum omni reverentia ad quam vobis exhibendam sum frui exigentibus meritis obligatus volo in presenti cedula explicare dubia, ymo ut quibusdam videtur aperta inconvenientia
5 que ad dicta vestra sequi videntur quatenus ex eorum dissolutione michi et aliis veritas clarius ostendatur.

Legi enim in quadam scriptura quam in scolis fratrum minorum legistis et pro vera omni volenti habere concessistis propositiones que
seuuntur.

10 Prima que ponitur a nobis primi *Sententiarum*, distinctione 3, questione 4, est ista notitia intuitiva clara est per quam indicamus rem esse sive sit sive non sit.

Secunda propositio vestra que ponitur ubi supra est talis: ‘obiectum non est, igitur non videtur’. Non valet consequentia nec ista hoc videtur,
15 ergo hic est ymo utrobique est fallacia, sicut in hiis consequentiis ‘cesar est in oppinione, igitur cesar est’, ‘cesar non est, igitur cesar non est in oppinione’.

Tertia propositio ibidem posita est ista: notitia intuitiva non requirit necessario rem existentem.

20 Ex istis infero unam propositionem quartam quod omnis apparentia nostra consequentia habeamus de existentia obiectorum extra potest esse falsa ex quo per vos potest esse sive obiectum sit sive non sit.

Et unam aliam propositionem que quinta est et est talis: in lumine naturali non possumus esse certi quando apparentia || nostra de
25 existentia obiectorum extra est vera vel falsa, quia uniformiter, ut dicitis representat rem esse sive sit sive non sit. Et ita cum quicumque ponat antecedens habeat ponere consequens quod formali consequentia infertur ex illo antecedente. Sequitur quod vos non habetis certitudinem evidentie de natura obiectorum extra, et etiam habetis omnia que ad illa
30 secuntur et etiam concedere quod non habetis certitudinem evidentie

P2 43r

1 prima — Bernardum] *in marg. P1* 6 et] *alb add. sed del. P2* 7 quadam] *epistula add. sed del. P2* 10 prima] prima propositio Bernardi *add. in marg. P1*
11 est²] *sup. lin. P1* 13 secunda propositio] secunda propositio Bernardi *add. in marg. P1*
14 est] *p. c. sup. lin. P1* 16 est³] *in oppinione add. sed del. P1* 18 tertia propositio] tertia propositio Bernardi *add. in marg. P1*
20 ex istis] quarta propositio *add. in marg. P1* 23 et unam] quinta propositio *add. in marg. P1*
est²] *est add. sed del. P2* 28 sequitur quod] contra illam propositionem *add. in marg. P1*
sequitur] Mericort facit de hac 2 questione vide hec de Adam *add. in marg. P1* non] *sup. lin. P1*

de existentia obiectorum sensus. Patet, quia nullus habet certitudinem de aliquo consequente virtute alicuius consequentie in qua manifeste committitur fallacia, sed sic est hic, nam per vos hic est fallacia albedo, videtur ergo albedo est.

5 Sed forsán dicetis prout michi videtur volebatis innuere in quadam dispositione apud predicatorés quod licet ex visione non possit inferri obiectum visum esse quando visis ponitur inesse a causa supernaturali ver conservatur ab ipsa, tamen quando posita est inesse a causis naturalibus precise concurrente influentia generali primi agentis, tunc
10 potest inferri.

Contra: quando ex aliquo antecedente, si esset positum in esse ab aliquo agente, non potest inferri consequentia formali et evidenti aliquod consequens nec ex illo antecedente poterit inferri illud consequens a quocumque fuerit posistum inesse. Patet ista propositio exemplo et
15 ratione. Exemplo: sicuti si albedo esset posita in esse ab agente A et non posset formaliter inferri ‘albedo est, igitur color est’, igitur non posset a quocumque agente esset posita in esse. Patet etiam ratione, quia antecedens in se non est propter hoc variatum a quocumque sit positum in esse nec res significata per antecedens.

20 Iterum ex quo ex illo antecedente mediante notitia intuitiva || non potest inferri evidenter, igitur albedo est. P1 23r

Tunc oportet aliquid addere ad antecedens, scilicet illud quod supra innuistis, scilicet quod albedo non est supernaturaliter in esse posita aut conservata. Sed ex hoc manifeste habetur propositum, nam quando
25 aliquis non est certus de aliquo consequente, nisi mediante aliquo antecedente de quo an ita sit sicut significat non est certus evidenter, quia nec illud est notum ex terminis nec experientia.

Nec ex talibus deductis, || sed tantum est creditum, talis non est evidenter certus de consequente, sic est si consideretur illud antecedens
30 cum sua modificatione, ut clarum est cuilibet, igitur etc. P2 43v

Item, secundum istam responsionem, qui inferunt ex illo antecedente sine illa modificatione adiecta, male infert sicut philosophi et ARISTOTELES et alii non audebant hoc ad antecedens, cum non crederunt Deum posse impedire effectus corporum naturalium, sequitur ergo quod
35 non erant certi de existentia rerum sensibilium.

Item, quero a vobis si vos cognoscatis omnes causas naturales que sunt et que possibles sunt esse et quantum possunt et quomodo vos scitis

1 sensus | *sup. lin. P1* 5 sed forsán | *responsio add. in marg. P1* michi |
videb *add. sed del. P2* 11 contra | *contra responsionem add. in marg. P1*
17 A — quocumque agente | *om. P2* 30 ut | *sup. lin. P2* cuilibet | *om. P2*
32 illa | *sup. lin. P1* 37 sunt² | *in add. P2*

evidenter evidentia reducta ad certitudinem primi principii quod aliquid est quod fieri non implicat contradictionem, et tamen non potest fieri nisi a Deo. Super hiis libenter velem certificari cerititudine descripta.

Iterum dicitis quod notitia intuitiva perfecta naturaliter potest esse
 5 rei non existentis, nunc quero de intuitiva vestra quomodo estis certus in materia descripta quando est perfecta usque ad illum gradum sic quod non potest esse naturaliter rei non existentis et bene volo de hoc doceri. Sic igitur clarum est ac michi videtur quod ad dicta vestra sequitur quod vos habetis dicere quod vos non estis certus de existentia
 10 obiectorum quinque sensuum. Sed quod gravius sustineri posset habetis dicere quod vos non estis certus de actibus vestris, ut pote quod videatis quod audiatis, ymmo quod non estis certus quod aliquis apareat vobis vel aparuerit vobis, nam ubi supra 1 *Sententairum*, distinctione 3, dicitis quod intellectus videtur de actibus vestris non habet intuitivam
 15 notitiam et probatur per istud medium: omnis notitia intuitiva est clara, sed notitia quam habet intellectus vester de actibus vestris non est clara, ergo etc.

Nunc secundum hoc arguo sic: ille intellectus qui non est certus de existentia rerum de quorum notitia magis claram notitiam habet
 20 nec de illis erit certus de quibus minus claram notitiam habet, sed ut dictum est, vos non estis certus de existentia obiectorum de quibus magis claram notitiam habetis quam de actibus vestris, igitur.

Et si vos dicatis quod aliquando aliqua notitia abstractiva est ita clara sicut notitia intuitiva, ut pote omne totum maius est sua parte,
 25 istud non proficit, quia expresse dicitis quod nulla notitia quam habemus de actibus nostris non est ita clara sicut intuitiva, || et tamen intuitiva saltem imperfecta non certificat naturaliter evidenter patet per vos. Et ita sequitur evidenter quod vos non estis certus de evidentia vestri aparere. Et per consequens non estis certus an aliquid apareat vobis. Et
 30 etiam sequitur quod non estis certus an alica propositio sit vera vel falsa, quia non estis certus evidenter an alica propositio sit vel fuerit. Ymo sequitur, si vos essetis interrogatus de articulis fidei and vos credatis vos haberetis dicere dubito, quia de actu vestro credi non possetis esse certus secundum dicta vestra.

35 Et confirmo, quia si essetis certus de actu vestro credi, vel hoc esset mediante ipsomet actu, et tunc actus rectus et reflexus essent idem quod vos non vultis concedere vel per alium actum, et tunc secundum dicta

P2 44r

4–6 perfecta — materia] *om. P2* 6 usque] *sup. lin. P2* 12–13 ymmo
 quod — vobis] *om. P2* 37 alium] *vel add. sed del. P2*

vestra non essetis simpliciter certus, quia tunc non esset contradictio plusquam quod visio albedinis esset et albedo non esset etc.

|| Sic igitur recolligendo dicta apparet quod habetis dicere quod vos non estis certus de illis que sunt extra vos. Et ita nescitis si sicut in
5 celo vel in terra, in igne vel in aqua. Et per consequens nescitis si hodie sit idem celum quod heri fuit, quoniam nec sicut si celum fuit vel sicut etiam nescitis si cancellarius vel papa sit. Et si isti sint an sint alii et alii homines in quolibet momento temporis. Similiter nescitis que sunt infra vos ut si habetis caput, barbam capillos, etc.

P1 23v

10 Ex isto sequitur a multo fortiori quod vos non estis certus de hiis que transierunt in preteritum ut si legistis, vidistis vel audistis.

Item, dicta vestra videntur ad destructionem civilitatis et politie, quia si testes deponant de visis non sequitur vidimus, ergo ita fuit.

Item, secundum hoc quero quomodo apostoli fuerunt certi quod
15 Christus pateretur in cruce, quod resurrexit a mortuis, et sic de aliis.

Super omnibus istis opto quod intellectus vester declaret se et minor multum quomodo dicitis || vos esse certum, evidenter de quibusdam
conclusionibus magis occultis, ut est existentia primi motoris et de talibus, et tamen vos non estis certus de istis etc. de quibus tactus est.

P2 44v

20 Item, mirabile est secundum dicta vestra quomodo creditis ostendere quod cognitio designatur a cognito cum nec sitis certus secundum dicta vestra quod cognitio alicui sit nec quod aliquae propositiones sint et per consequens nec quod aliquae propositiones contradictorie sint, tamen ut ostendi de actuum vestrorum existentia non habeatis secundum dicta
25 vestra et ulterius nec de intellectu vestro habetis certitudinem et ita nescitis an sit.

Et ut michi apparet absurdo a seculantur ad potentiam vestram quam ad potentiam academicorum.

Et ideo ad evitandum tales absurditates sustinui in aula Sorbone in
30 disputationibus quod sum certus evidenter de obiectis quinque sensuum et de actibus meis.

Hec et plura alia concipio contra dicta vestra intantum quod quasi non esset ibi finis.

Supplico pater ut doceatis me, licet ignarum desiderio, tamen super
35 exquirenda notitia veritatis. Valete in eo qui lumen est et in eo tenebre

2 quod] *om.* P2 4 si] scilicet P2 7 etiam] fuit *add. sed del.* P2
9 caput barbam] barbam caput P2 12 destructionem] vilitatis *add. sed del.* P2
15 quod] et P2 24–25 secundum dicta vestra] *om.* P2 27 absurdo]
absurda P2 a] *om.* P2

non sunt ulle.

Explicit prima epistola nostra ad Bernardum.



1 sunt | ulle *add. sed del. P2*

2 Bernardum | etc. *add. P2*